

אלהינו יהוה אלהינו יהוה אחד Deus iudex Legis-
lator & Rex noster, qui verò scribam vertunt, non intelligunt,
vulgarem scribam, sed qui potestate leges ferendi sit præditus,
Dn. D. Polycarpus Lyserus, Cancellarium, summa potestate in-
structum, quod aptè expressit Aquila, vertens ἀκριβοῦς, sic
dictum, ab accurata legum quas fert, exminatione. Distinguitur
verò juxta plerosq; Sceptrum à Legislatore, ut innuatur inclina-
tio & mutatio formæ gubernationis, quasi diceret, post amissum
Regni titulum, quod factum post captivitatem, ubi à Zorobabe-
le ad Christum 454. numerantur anni, tribus Judæ obtinebit di-
gnitatem ducalem, quod factum, cum Zedekia capto, Synedrion
rerum adhuc potietur, præsidem enim hujus collegij vocabant,
נשיא principem seu ducem, quem in locum Moysi præficiabant,
originem verò traxit hoc Synedrion, licet monente Jethrone, ab
ipso Deo, *Exod. 24. 9.* primitusq; id non alio fine sancivit, quam,
ut Moysi, gravioribus causis præpedito, in levioribus decidendis
subveniret, postmodum verò hos 70. seniores, ad speculandam
suam in monte præsentiam, cum Mose admisit; Spiritu Sancto
instruxit, *Num. 11. 24.* Et gravi lege cavit, ut ni quis eorum sen-
tentia stare vellet, capite plecteretur, *Deut. 17.* ejus insigne exem-
plum refert Josephus, quod ipse Rex Herodes, in Consilio 70.
Seniorum, Tyrannidis accusatus, vix periculum capitis evase-
rit, quam contumeliam, postea severissimè ultus, dum unà cum
Rege Hircano, universum Sanhedrin sustulit, *Gall. lib. 4. c. 19.* vo-
cat eos, judices ordinarios & supremos, ut Camera spirensis &
Parlamentum Gallicum, hodie est; à quibus lata jam sententia,
provocare non licebat, & videtur, sicut apud reges Majestas per-
sonalis, sic apud hos majestatem realem resedisse, Aristoteles
Sceptrum hoc vocaret, κέρμον τῆς πολιτείας, Legislatorem verò
ducem, τὰς ἀρχὰς καὶ δικάζον, Rabini ferè ultra fidem, hos ad-
sessores Synedrion extollunt, R. Johannes inquit; Non erant,
nisi Domini sapientiæ, staturæ, apparentiæ, Sanctitatis & incan-
tionum, periti 70. lingvarum. Sed ut ut sit, illud ceu verum &
indubitatum eis libenter largimur, fuisse eos viros doctos, regio
etiam aliquos sanguine ortos, omnes v. ex tribu Juda oriundos
fuisse, ut non sine re dubitatur, sic præsidem hujus concilij ex
tribu